

1493 ret: aut, si id non posset, ipsi flumen transfirent, seseque tuerentur. Ea re a Senatu non impetrata, quod diceret, sibi id necesse ejus tam firmis rebus non videri, iterum ad Carolum legatos misit rogatum, ut maturaret Alpes transmittere: sese ei de pecunia commodaturum, suasque copias cum illo conjuncturum, ubi primum terram Italiæ attigisset. Carolus, qui plures jam menses in ea modo prædicatione consumpsisset, velle se Neapolim armis suam facere, atque iis, qui apud illum plurimum poterant, partim bellum suadentibus, partim dissuadentibus, nihil etiam nunc constituisset, quod pro firmo atque certo haberetur: acceptis Ludovici tum hortationibus diligentioribus, tum pollicitis; fœdus cum Ferdinando & Elisabeta Hispaniæ regibus percussit, nonnullis eis oppidis in Pyrenæo saltu gratis restitutis, quæ pridem oppida Aloisius rex ejus pater a Ferdinandi patre pignoris nomine acceperat. deinde ad diem nonum calendarum januarii, adhibitis totius Galliæ principibus, statuit omnibus aliis omissis rebus proficisci. De eo cum esset amicorum literis celeriter Ferdinandus certior factus, primis anni diebus e venatu lectulum petens, acri urgente pituita, intra biduum est mortuus, cujus Alfonsum majorem natu filium Federicus natu minor, reliquique Neapolitani principes regem salutaverunt. Alfonsus, regno patris inito, per legatum Venetum, qui paulo ante ad Ferdinandum venerat, insolitisque ab eo & obviam itionibus, & aliis honorum generibus exceptus fuerat, a Senatu petiit, ut cum Ludovico ageret, ne is Carolum ad profectionem incitaret, prædemque se apud illum constitueret: nihil ipsum ullo tempore moturum, quo minus is regni Mediolanensis procuratore quoad vellet, uteretur. Senatus ea de re cum apud Ludovicum Alfonsi verbis egisset, eumque esset magnopere hortatus, ne Gallis in Italiam veniendi auctor adjutorque esset, ille autem nihil ejusmodi respondisset, quo se ab eo consilio remoturus videretur: ne frustra operam infumeret, destitit, neque amplius eam cogitationem est aggressus. Miserat ante eos dies ad Se-

na-

1494
Ferdinandus,
Neapolitani regis,
obitus,
VIII. kal.
febr.